

tionem observanda esse videntur quædam *ante*
Aditum, quædam *in ipso Aditu*.

21.

Ante aditum duo procuranda sunt, (1) *ut*
exquisitissimam habeamus Patronorum notitiam. Hæc
enim ubi comparata fuerit, omnem captandæ
Benevolentiaë occasionem præbebit. Hinc ex-
plorentur quælibet particularia; v. g. Mores,
Virtutes, Vitia, Actiones, Cupiditates, Placita,
Clientes, Amici, Inimici, Tempora denique &
Aditus. Ut verò ad hanc notitiam pertingamus,
Domesticorum inprimis Conversatione obtineri potest;
nisi specialissima de singulis velimus perscrutari,
ad quod optima à Verulamio Via ostenditur,
quando loco cit. dicit: *Defectus & vitia commode ab inimicis; Virtutes & Facultates ab Amicis; Mores & Tempora à Famulis; Opiniones & Meditationes ab intimis Familiaribus addisci.* (2) *Ut Fama præoccupemus Patronorum Benevolentiam*. Nam ignoti nulla cupido est, & nisi ante aditum Famâ Patronis innotescamus, repulsam in ipso aditu facile patimur. Atque hoc optimè iterum Domesticorum, nec non amicorum Patroni consortio impetrandum est, quorum si quæramus favorem, virtutisque nostræ specimina ipsis interdum exhibeamus, laudes illi nostras ad Patronorum aures facile deferent.

22.

In ipso Aditu pariter ad duo attendendum est; (1) *ut Patroni Benevolentiam prudenter probe-*
mus;